# MARTINI STEYAERT
# ASSERTIO
# NOTARUM

IN

PROPOSITIONES V. FAMOSAS.

ITECA NA
ROMA
TTORIO EMA

LOVANII,

*Apud* ÆGIDIUM DENIQUE.

M. DC. LXXXVIII.

# CONCLUSIONES THEOLOGICÆ,

## SEU

# ASSERTIO NOTARUM

## IN PROPOSITIONES V. FAMOSAS

## *ADVERSUS*

# SPONGIAM IIS OPPOSITAM

## ET ALIAS QUASDAM OBJECTIONES.

## PRÆFATIO.

Libello quem *Charitas* quorundam *latè dicta* adverſus me dictavit; ſic paucis reſponſum eo, primùm ut minùs obſervaturus ſim quid illos à me audire deceret, quàm quid deceat me dicere illis. Proinde ad dicteria ſua ne verbum quidem à me habebunt. Incepi modeſtè: pergam modeſtiùs. Deinde nec ſingula quæ in *Spongia* continentur, diſcutiam; immanis enim labor foret, nec huic conformis instituto (ſumma dumtaxat legam faſtigia rerum): nec etiam ſola illa refutabo; ſunt namque & ab aliis objecta quædam, ſed ex Charitate ſtrictiori.

## CONCLUSIO PRIMA.

*Janſenius in Propoſitione prima è V. famoſis, non tantùm utitur temerariâ illâ, & à Patribus ac ipſo Tridentino, ſub anathemate probibitâ voce; ſed etiam eâ multò deteriore.*

1. VOx ea eſt quam Notâ II. objeceram ex ſeſſ. 6. c. 11. Trid. *Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia*. Et ad hoc quidem nihil reponit *Diſquiſitio*, ſeu *Spongiæ* medulla; quæ non *Notas* meas, publico deſtinatas, refellit; ſed *Schedulam* quandam privatam, ſine cura ulla à me Romæ olim conceptam, & Amico mihi tunc cum ceteris Deputatis noſtris communi, tradi-

tam, eum tantùm in finem, ut is cum liberet, apud ſe in V. Propoſitiones inquirere poſſet. * *Appendix* verò ejuſdem *Diſquiſitionis* hîc gravis oſcitantiæ me accuſat, quaſi Janſenio vitio dederim, quod voce illâ, *Impoſſibilia*, uſus eſſet; & hanc dixerim à Patribus ſub anathemate fuiſſe prohibitam, quod multis probat falſum eſſe. Unde *cum dormitante Homero me videri* ait *legiſſe Concilium.* Ego verò quocum ille legerit Notas meas, ignoro. Hoc ſcio, me diſertiùs oſtendere haud potuiſſe, de tota Tridentini periodo *hanc vocem* à me intelligi. En namque verba mea, & ſi vis, Lector, mirare quod vides: *At hæc* (Eccleſia) *adeò abhorret à modo iſto loquendi, quo Juſtis aliqua præcepta* Dei *dicuntur impoſſibilia, ut diſertiſſimè Synodus Tridentina, hanc temerariam & à Patribus ſub anathemate prohibitam vocem appellet:* DEI PRÆCEPTA HOMINI JUSTIFICATO AD OBSERVANDUM ESSE IMPOSSIBILIA: ac deinde culpo Janſenium, quòd nihilominùs eâ voce ſibi utendum putaverit. Adversùs hanc prolapſionem quam mihi imputat, decertare pergit Appendicis author, probando quod ſibi negatum putat; *Non penitus ablatum ab omni Catholicorum uſu vocabulum*, IMPOSSIBILE, *etiam intuitu mandatorum Dei.* At quis illi vel in ſpeciem hoc negavit? Deinde verò pergit, atque idem vitium, quod etiam *Vanitatem* vocare dignatur, in verbis illis meis caſtigat, ubi dico: *Verùm nec eâ voce, quâ utitur Janſenius, uſa eſt unquam antiquitas.* Rursùs nempe me intelligit de vocula illa, *Impoſſibile.* Quòd ſi verò de tota Periodo intelligat; audebitne ergò negare, vocem eam apud Sacram Antiquitatem extare nuſquam; ſed ab illa ſub anathemate prohibitam fuiſſe? Non igitur me, ſed Concilium Tridentinum mendacii inſimulet.

2. Verùm, inquit, ſi de tota Periodo agitur; nuſquam etiam Janſenius eâ eſt uſus. Aio ego, uſum eſſe; & probo. PRÆCEPTA *quædam* HOMINIBUS quibuſdam JUSTIS (nempe etiam *volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes quas habent vires*) SUNT IMPOSSIBILIA. Hæc certè eſt vox Janſenii. At quid illa differt à damnata in Tridentino: DEI PRÆCEPTA HOMINI JUSTIFICATO *ad obſervandum* ESSE IMPOSSIBILIA? An quòd in hâc vox, *Dei*, &, *ad obſervandum*, inveniatur; non item in iſta? Non exiſtimo. Igitur fortè illa, *Quædam*, vel, *Quibuſdam*, quæ in priori reperitur vel intelligitur; diſcrimen faciet. At probare debuiſſet *Spongia*, ſcit *Appendix*, quod nec facit nec tentat; ideò ſub anathemate prohibitam eſſe illam ſententiam, quia de Præceptis *omnibus*, ac de *omnibus* ſimiliter Juſtis loquitur; ut ſenſus ſit: *Omnia Dei præcepta cuilibet homini juſtificato eſſe impoſſibilia:* probandum ei fuerat, in ratione quam Tridentinum ex Auguſtino adjungit, cur damnata ſit ea vox; ſubintelligi debere voculas illas, *Omnia*, &, *Omnibus. Nam*, ait Concilium, *Deus* IMPOSSIBILIA NON JUBET, *ſed jubendo monet &c.* An fortè ſenſus eſt: *Deus non omnia omnibus impoſſibilia jubet:* Ita ut ſolùm redarguatur hæc ſententia; *Dei præcepta omnia omnibus* (nempe Juſtis, nam de his ſermo eſt) *ſunt impoſſibilia:* ſic ut intacta relinquatur illa, *Deus aliqua aliquibus impoſſibilia jubet.* Quàm cavebit *Spongia* hoc aſſerere! Sed aliquid muſſitat nimirum de * *præſentibus viribus:* & in his voculis videtur diſcrimen velle conſtituere. *Impoſſibilitas*, inquit, *mandatorum Dei, de qua Janſenius, toto cælo diverſa eſt; hoc eſt, non abſoluta & ſimplex, ſed conditionata, ac* PRÆSENTIUM DUMTAXAT VIRIUM. Quàm libens nimirum ſubindicaret, quod effari non audet propriâ reluctante notitiâ, egiſſe ſolùm in ea Propoſitione Janſenium de impoſſibilitate Ju-

* Pag. 27. * Pag. 29.

ſtorum

ſtorum ſecundùm quid, ut vocant, & *ſecundùm præſentes quas habent vires*; ita ut voculæ hæ verbo, *Impoſſibilia*, adhæreant! At malum, quod neque *Zegherus*, neque alii Typographi qui Janſenium ediderunt, neque Janſenius ipſe, de hac diſtinctione cogitaverint. Conſtantiſſima illius loci lectio eſt, neque ab ullo, quod ſciam, in dubium vocata, juxta quam iſtud, *ſecundùm præſentes quas habent vires*, non vocem ſequentem, *Impoſſibilia*, afficit, ſed has præcedentes, *volentibus & conantibus*, ſeu potiùs ſolam, *Conantibus*, ut conſtructio ſit: *Juſtis volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia*. Nullâ poſitâ diſtinctionis notâ poſt, *Conantibus*, ſed poſt *Vires*. Itaque diſertè Janſenius dixit, Juſtis quibuſdam (nempe qui etiam volunt & conantur ſecundùm præſentes quas habent vires) aliqua præcepta Dei impoſſibilia eſſe. Habemus autem fatentem *Spongiam*. * *Quod videlicet* (verba illius ſunt) *ubi generatim ſine reſtrictione dicitur, Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia, inſinuetur impoſſibilitas abſoluta, vel impoſſibilitas ex parte objecti*, quam & ipſemet author damnat. Igitur locutio Janſenii damnabilem impoſſibilitatem abſolutam, ſeu ex parte objecti, importare dicenda eſt.

3. Itaque hactenus probatum eſt, Janſenium uſum eſſe temerariâ & à patribus ac Tridentino prohibitâ voce. Diximus autem ampliùs, etiam deteriore uſum: quod etiam ex ipſa *Spongia* confirmabitur. Prohibita ea vox erat, *Juſtis præcepta Dei eſſe impoſſibilia*: at locutionem iſtam Janſenius etiam ad *Juſtos, volentes, & conantes ſecundum præſentes quas habent vires*, extendit. Proinde præcepta ipſis inpoſſibilia prædicat, etiam ubi gratiis illis præditi ſunt, ſine quibus *Spongia conatus illos † & vires haberi non poſſe affirmat. Tolerabiliùs ſaltem fuerat, de Juſtis id dixiſſe, ſed tunc cùm fortè nondum volunt aut conantur. Quemadmodum vox in Tridentino prohibita, conatuum iſtorum mentionem non facit. Quod ergò de viribus illis & conatibus dixit Janſenius, tantùm abeſt, ut quod vult *Spongia*, illum abſolvat, quaſi in iis gratiam quandam ſufficientem admiſerit; ut è contrario locutionem ejus damnet magis.

## CONCLUSIO SECUNDA.

*Janſenius utens hâc prohibitâ & damnatâ voce, damnari potuit, etſi alibi quid per eam velit, explicare conetur.*

1. Toti in eo ſunt, non ſolum *Appendicis*, ſed & *Diſquiſitionis* Authores, ut probent, ob vocem æquivocam, juſtoque duriorem, non debuiſſe proſcribi Janſenium, ſed ibi mentem explicavit ſuam. At, pace ipſorum, non de voce æquivoca hìc agitur aut ſolùm duriore; ſed de *temeraria, & à patribus*, ipſoque Tridentino, *ſub Anathemate probibita*: cujus ſignificatio jam ambigua non eſt, ut ita per explicationes alibi datas ad ſenſum bonum trahi poſſit; ſed quæ ſignificationem fixam ac determinatam ex Eccleſiæ uſu & definitione accepit. Plena eſt ejuſmodi exemplis doctrina Catholica, præſertim circa SS. Trinitatis ac Dominicæ Incarnationis Myſterium. Plures locutiones ſunt, quæ per ſe nihil veneni habent: ac ut minimùm ambiguum ſenſum continent: at determinatæ jam per Eccleſiæ uſum aut definitionem, ſi contrà ab aliquo uſurpentur, tametſi is

* *Pag.* 27. † *Pag.* 28.

fortè oſtendat ſe in alium ſenſum eas velle detorquere; erroris notam non effugient. Cur ergò idem non ſit de hac locutione Janſenii? Quid Virum impulit ut eâ uteretur? An Tridentinum ignoravit? Certè non debuit, Theologus, Epiſcopus, & toti ferè Scholæ bellum acerrimum indicens. An ſprevit? Id quidem, etſi ſuſpicandum non ſit, tantò foret enormius. Iterum dico: Quid paſſus eſt, ubi voce iſtâ non minus diſertè quàm Tridentinum vetuerat, ſibi utendum putavit? An alia vox non ſuppetebat? Habebat eam ipſam quam Tridentinum ſuggeſſerat ex Auguſtino: Petendum etiam ſæpe juſto, quod NON POSSIT. At in impetu ſpiritus ſui, ut ſolet, in hæc abrupta abreptus eſt. Ut proinde nihil ad rem faciat, quid voluerit tantùm dum damnata locutus eſt; nempe, quod uterque Adverſarius ait, ſubruere dumtaxat Gratiam Molinianam. Si voluerit hoc ſolùm; certè plus quàm voluit, fecit. Moliniſmum ſubruere aggreſſus eſt; ſubruit, quantùm in ipſo fuit, Concilium Tridentinum & Patres. Alibi ergò dixerit quod voluerit; adeoque alibi Catholicè locutus fuerit: hìc minimè. Neque Eccleſia, quod ante me notavit Contenſonius, eam debet curam ſcriptori privato, & præſertim ſpiritûs tam cenſorii, quam debet vel Divinis Scripturis, vel SS. Patrum ab ipſamet conſecratis Operibus: ut nimirum angulos eorum omnes excutiat, quò inveniat modum emolliendi duriora ipſorum dicta. Si ſcribere Janſenius juxta uſum Eccleſiæ non potuit, tacendum illi fuit.

2. At, quemadmodum mihi ipſi in Notis objeci, in antiquitate forſitan locutio illa obtinuit, ut præcepta Dei cuipiam juſto impoſſibilia dicerentur. Reſpondi autem quid ſequeretur, aut potiùs quid minimè ſequeretur, tametſi id alicubi Antiquitas dixiſſet. Affirmare tamen auſus ſum id nuſquam dictum; multò minùs ab Auguſtino. Fundamentum meum erat, quòd contrarium diſertè in Auguſtino reperirem: *Deus impoſſibilia non jubet*, nempe juſtis de quibus ibi eſt ſermo. Deinde quòd nihil tale adferret Janſenius, qui tamen nihil, præſertim ex Auguſtino, omittere ſolet. Verùm cùm in *ſchedula* mea idem de Auguſtino dixiſſem; mirum quàm paternè & ſedatè *diſquiſitionis* author *vulgarem ingenii mei captum* & *affirmationem meam incautam* caſtiget: *Quas enim ille*, inquit de me, *voces negat uſquam ab Auguſtino uſurpatas, eæ nominatim extant Retract. libro* 1. *cap.* 22. *ubi ſic loquitur: Cùm fortis & potens præparatur voluntas à Domino, facile fit opus pietatis, quod prius difficile atque* IMPOSSIBILE *fuit.* Infelix certè Janſenius, qui locum tam inſignem prætererierit, quo uno ſtabilire poterat dogma ſuum de *impoſſibilitate præceptorum in juſtis*, pro quo alioqui ne unum quidem adferre potuit aut ipſe aut pro eo alius. Admiratus ſum ipſe locum videns; & niſi me confirmaſſet geminum fundamentum meum ſupradictum, jam titubabam. Accedebat interim quod addebat animos: ſi hic locus talis eſſet ut ſonabat, fuſiùs illum à *Diſquiſitore* citandum fuiſſe. Verùm ut ad fontem veni, & finem totum capitis iſtius perlegi, in quo nulla niſi de tranſitu ab injuſtitia ad juſtitiam eſt ſermo; vidi cur naſutior Janſenius fuerit, quàm ut hunc locum de juſtis, quibus jam præcepta impoſſibilia forent, exponeret. *Alio loco*, ait S. Doctor; *Niſi quiſque*, inquam, *voluntatem mutaverit, bonum operari non poteſt, quod in noſtra poteſtate eſſe poſitum alio loco docet, ubi ait: Aut facite arborem bonam &c.* dixerat hoc contra Adimantum cap. 26 illud verò ſic retractat ſeu explicat: *Quod non eſt contra gratiam Dei quam prædicamus*, inquit, *In poteſtate quippe hominis eſt* MUTARE IN MELIUS VOLUNTATEM; *ſed ea*

*poteſtas nulla eſt niſi à Deo detur, de quo dictum eſt, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Cùm enim hoc ſit in poteſtate quòd cùm volumus facimus; nihil tam in poteſtate quam ipſa voluntas eſt, ſed præparatur voluntas à Domino. Eo ergò modo dat. poteſtatem.* Hactenus certè de juſtificatione agitur, & poteſtate quam juſti accipiunt. Tum verò proſequitur. *Sic*, ait, *intelligendum eſt & quod dixi poſteà: In noſtra poteſtate eſſe, ut vel inſeri bonitate Dei, vel excidi ejus ſeveritate mereamur:. quia in poteſtate noſtra non eſt, niſi quod noſtram ſequitur voluntatem.* Ubi & rurſus de juſtificatione agitur ac de lapſu contrario è juſtitia. Super his autem tandem immediatè concludit per verba citata: *Quæ cum fortis & potens* (voluntas) *præparatur à Domino*, nimirum ut bonitate Dei inſeramur; *facilè fit opus pietatis, etiam quod difficile atque impoſſibile fuit.* Hæc, puto, luculentiore explicatione non egent. Admittit Auguſtinus *impoſſibilitatem* quandam (quam alio nomine *difficultatem* vocare videtur, niſi quod ſit difficultas quædam pluſquam vulgaris) in eo cui nondum præparatur fortis & potens voluntas à Domino, ut convertatur. Quid hoc autem ad juſtos, de quibus unicè hìc eſſe quæſtionem, in Notis monuimus?

3 Neſcio an non prævideri ipſe *Appendicis* author*, quam debilis foret locus à *Diſquiſitore* citatus, ut ideò alium ex antiquitate quæſiverit, quem magnoperè miratur & ab illo & à me fuiſſe omiſſum; adductum autem à Janſenio: nempe è Proſpero, ubi dicit eos, qui *priuſquam à dominatione* PECCATI *per gratiam liberarentur. ſuam volebant juſtitiam conſtituere, ignorantes, Dei juſtitiam, humiliatos per experimenta* IMPOSSIBILITATIS SUÆ, *& inveniſſe ſe ſine Dei adjutorio nihil poſſe.* At ego miror, tam ſagacem ſcriptorem, qui quæ alios latebant, tam feliciter invênit, non timuiſſe ne cauſam ſuam, *Diſquiſitoris*, & Janſenii, prodere videretur, adferendo locum tam perſpicuè de *Peccatoribus* loquentem, cùm inter nos de *Juſtis* una ſit quæſtio. Aut non legit verba mea, ita Janſenio exprobrantis: *Scriptorem iſtum nulla ſaltem talia teſtimonia quæſiſſe, in quibus* IMPOSSIBILITAS *iſta disertè* JUSTIS *tribueretur?* aut alia quæ iſta non multum præcedunt: *de peccatoribus, de quibus cum Propoſitio damnata non agat, nihil etiam nos agere eſt neceſſe?* Certè facilem mihi cauſam concedere voluerunt Adverſarii iſti: non hìc ſolùm, ſed ubi paſſim in juſtis confundunt illud, *Non poſſe*, quod illis Auguſtinus quandoque tribuit, cum damnata *impoſſibilitate*, quam in una planè & eadem periodo, ne phraſim mutaſſe videatur, juſtis negat: *Deus*, inquit, IMPOSSIBILIA *non jubet*; *ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod* NON POSSIS. Verùm tantò faciliùs hoc eis condono, quòd adverſæ quoque Partis Theologus non immodeſtus, hanc diſtinctionem contra me impugnet; rogetque, Num ergò exiſtimem, evaſurum fuiſſe Janſenium damnationis notam, ſi pro eo, *Juſtis ſunt impoſſibilia*, poſuiſſet, *Juſtos aliquid non poſſe?* Reſpondeo Viro modeſto modeſtiſſimè: Si nihil aliud dixiſſet Janſenius, quàm Juſtum aliquando quidpiam à Deo præceptum nondum poſſe; planè is dixiſſet quod Auguſtinus, & ex illo Tridentinum: JUBENDO *monet* (Deus) *& facere quod poſſis, & petere* QUOD NON POSSIS.

* *Pag.* 25.

## CONCLUSIO TERTIA.

*Satis ſe diſcernit à Janſenio in Propoſitione prima, qui gratiam in Juſtis Thomiſticè ſufficientem admittit.*

NOn penetrat hoc diſcrimen Author *Appendicis* *: & gratiam Thomiſticè ſufficientem, verbotenus tantùm ſufficientem vocat. Qua in re certamen ei ſit cum iis Thomiſtis, qui aliter quàm nos, gratiam ſuam ſufficientem exponunt. Nobis ea ſic eſt ſufficiens, ut cum illa Juſtus agere bonum poſſit, ſicut cum gratia efficace omittere bonum poteſt: ſic nimirum ut nunquam id ſit facturus. Qua in re nos à Janſenio diſcerni, nemo in Janſenio verſatus negabit. At ergò in Moliniſmum incidemus, ut adverſarius contendit. Si nempe *Wendrochius* Moliniſta eſt, dum potentiam diſſentiendi cum gratia efficace componit modo illo ſatis ingenioſo, quem in Notis oſtendimus: & tamen à Moliniſtarum proprio dogmate ſe tuetur, juxta quos eadem gratia animis eodem modo per omnia affectis illapſa, hunc convertit & alium non convertit; quod perindè nos ac ille aſpernamur. Videturque ipſe *Diſquiſitionis* Author nobiſcum ea in parte ſentire; quem & aliunde novi gratiam Thomiſticè ſufficientem adeò non aſpernari, ut ne nomen quidem, quando jam illud uſus Eccleſiæ & Scholarum recepit, non faſtidiat. Si faſtidioſior ſit author *Appendicis*, integrum nobis ſit illius ſenſum faſtidiumque parùm morari.

2. Sed, ait, ipſe Janſenius eandem quoque admiſit. Falſum eſt, & eſſe oſtendimus in Notis. Admittit quidem volitionem infirmam bonam, item conatum debilem, vireſque infirmas, in eo, qui nondum agit per gratiam efficacem: ſed adeò non ponit in iis gratiam ſufficientem pro pleno actu; ut adhuc præceptum actûs pleni juſtis volentibus & conantibus, adeoque vires illas & conatus habentibus, impoſſibile dicat. Admittat nobiſcum Author *Appendicis*, id quod nos admittimus; illique ſpondeo, fore ut Scholæ omnes Catholicæ ipſum tanquam à Janſenio ſatis diſcretum admittant. Niſi fortè hoc ipſum illi moleſtum foret, immunem abire à cenſura, ſed ſine Janſenio. Nobis interim non invideat, ſi minùs ſcriptori illi addicti & adſtricti, habeamur & contenti ſimus haberi, ſine ipſo à cenſura immunes.

### CLAUSULA.

HIc finis eſſe poterit circa Propoſitionem primam: circa quam nihil eſſe puto, quod vel operæ pretium ſit elucidare operoſiùs, vel quod non ſponte ſuâ, conferendo utriuſque partis ſcripta, elucidetur. Hebdomada proxima cetera dare poterit: hæc interim ex tempore effuſa, proximâ feriâ V. in fine lectionis ordinariæ, pro ſpecimine

*Diſputabuntur*

In Collegio Baiorum.

* *Pag.* 28.

# CONTINUATIO
## IN PROPOSITIONEM PRIMAM.
### CONCLUSIO IV.

*S. Bernardus nunquam uſus eſt voce à Patribus & Tridentino damnatâ :* Præcepta Dei homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia : *ſed econtrà quæ propiùs poterat videri accedere, eam datâ operâ refutavit.*

AB antiquitate tota deſertus Adverſarius noſter, atque adeò ſatis confeſſus, nullum ſe aliud habere veterum teſtimonium, quo Præcepta Dei *Juſtis* impoſſibilia dicerentur; tandem in *Criſi* quam Aſſertioni noſtræ oppoſuit, ſe Bernardi authoritate munire conatus eſt. Quàm verò feliciter videamus. Profert è Sermone 50. in Cantica locum ſanè ſpecioſum : *Ergò*, inquit S. Doctor, MANDANDO IMPOSSIBILIA *non prævaricatores homines fecit, ſed humiles : ut omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus Deo, quia ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro coram illo &c.* Malum rursùs quòd ad fontem unde verba deſumpta ſunt, mihi & cuilibet pateat acceſſus. En igitur diſcurſum Bernardi integrum : in quo adeò non confirmat vocem damnatam, ut potiùs impugnet.

*Eſt Charitas in actu*, inquit, *& eſt in affectu. Et de illa quidem quæ operis eſt, puto datam eſſe legem hominibus, mandatumque formatum. Nam in affectu quis ita habeat ut mandatur? Ergò illa mandatur ad meritum, iſta in præmium datur. Cujus initium quidem profectumque, vitam quoque præſentem experiri divinâ poſſe gratiâ non negamus : ſed conſummationem defendimus futuræ felicitati.* Quibus verbis Mellifluus Prædicator contendit, dicendum non eſſe, præcipi nobis in hac vita *conſummationem* charitatis quam ipſe affectualem vocat, ſed eam in futuram reſervari pro præmio. Unde concludit : *Quomodo ergò jubenda fuit, quæ implenda nullo modo erat?*

Quia tamen erant qui aliud mallent, nolens acriùs cum eis contendere, paratus eſt hoc in ipſis pati, modò ipſi viciſſim concedant aliud : *Aut ſi placet tibi magis de affectuali datum fuiſſe mandatum* ; *non inde contendo*, inquit : *dummodo acquieſcas & tu mihi, quòd minimè in vita iſta ab aliquo hominum poſſit vel potuerit adimpleri. Quis enim ſibi arrogare id audeat, quod ſe Paulus ipſe fatetur non comprehendiſſe?* Tum modum aliquem ſuggerit, quo iſta conciliari poſſint, ita ut concedatur improprium mandatum de conſummata iſta Charitate affectuali : atque ita proſequitur : *Nec latuit præceptorem, præcepti pondus hominum excedere vires : ſed judicavit utile, ex hoc ipſo ſuæ illos inſufficientiæ admoneri, & ut ſcirent ſanè ad quem juſtitiæ finem niti pro viribus oporteret* ; nempe in cœlis conſequendum. Atque hæc etiam veterum quorundam locutio fuit, Quædam hìc præcipi, præcepto impropriè dicto, quæ ſolùm in cœlis aſſequeremur ; ut, *Non concupiſcere*, & hoc ipſum de quo agimus, *Diligere Deum* abſolutiſſimè *ex toto corde*, ut Beati diligunt.

Poſt hæc tandem jungens verba ab Adverſario citata, magis exponit, quo pacto iſta verè & propriè *impoſſibilia*, præcepto tali quod alii contra ſe volebant, ſubjacere poſſent.

poſſent. *Ergò*, inquit, ***mandando impoſſibilia, non prævaricatores homines fecit, ſed humiles*** &c. Verùm ſtatim ſubjungens: *Atque hoc dixerim*, ait, *ſiquidem conſenſerimus, affectualem legem fuiſſe mandatam*: at hoc ipſe negaverat: quin & iterum negat, dum addit: *ſed actuali id potiùs convenire, inde vel maximè apparere videtur* &c.

Non ergò, ut diximus, Bernardus uſus eſt voce damnatâ: ſed aliam quæ ſimilis videri poſſet, refutavit. Nec enim vel illi ipſi quibuſcum agit, volebant, præcepta aliqua propriè dicta, præſertim juſtis, *impoſſibilia* eſſe, detorquendo ad ſenſum improprium illam vocem, quam Eccleſiaſticus uſus ad ſenſum talem detorqueri non ſinit: ſed in iis quæ verè & propriè impoſſibilia ſunt (ut in iſta conſummatâ Charitate quæ excludat omnem concupiſcentiam) admiſerunt dumtaxat præceptum aliquod impropriè dictum, quod Bernardus pacis ſtudio diſſimulat, ſed non probat.

Nihil ergò hæc ad Janſenium, qui de præceptis propriè dictis loquens, reſpectu juſtorum, etiam volentium & conantium ſecundùm præſentes quas habent vires, ea vocat impoſſibilia. Nec plus itaque, imò multò minus præſidii Adverſario noſtro ex Bernardo, quàm antè ex Proſpero aut Auguſtino.

## CONCLUSIO V.

*Janſenius ſimpliciter in propoſitione damnata, juſtis quibuſdam, & quidem volentibus & conantibus ſecundùm præſentes quas habent vires, præcepta quædam Dei dicit impoſſibilia: nec eum juvat, ſi alibi locutionem ſuam temperaverit magis.*

NOn auſus eſt negare in *Criſi* ſua Adverſarius, ſufficere ad damnationem, ſi quis dicat, *præcepta* QUÆDAM *Dei, juſtis* QUIBUSDAM *eſſe impoſſibilia*: neque in eo ſolùm ſitam fuiſſe hæreticorum velaniam, quòd ad *omnes* juſtos & ad *omnia* ſimiliter præcepta hoc extenderent. Hoc igitur ſumendo, videamus an rectè neget, Janſenium ſimpliciter dicere, *Præcepta quædam juſtis quibuſdam impoſſibilia eſſe.*

Adfert multa ut hoc evertat, ex capite illo famoſo decimo-tertio lib. 3. de Gratia Chriſti apud Janſenium: ſed fruſtrà. Quia ſolùm oſtendit, quid alibi dicat Iprenſis Epiſcopus, vel quid dicere tantùm debuiſſet §. illo fatali, qui eſt ſecundus à fine, & incipit: *Hæc igitur omnia*; ubi habet propoſitionem damnatam. Demus ergò illi totum, quod contendit dici à Janſenio. Præcedentibus aliquot §§. ſolùm dicat Scriptor infelix, *Eſſe quædam homini præcepta, ſecundùm ſtatum & vires in quibus conſtitutus eſt, impoſſibilia*: ubi videri poſſet minùs peccaſſe, dum impoſſibilitatem iſtam hoc termino limitat, *ſecundùm ſtatum & vires in quibus conſtitutus eſt*. Dicat deinde plura alia, in quibus vel nihil vel parùm peccaſſe poſſit, puta dum non de Juſtis, ſed peccatoribus, præſertim obcæcatis & obduratis, vel infidelibus loquitur, de quibus hoc loco non eſt quæſtio: dum item de *impotentia*, vel quodam *non poſſe*, dumtaxat agit. Dum certè ad §. illum fatalem venit, *Hæc igitur omnia*, tanquam ſe ipſo major, & omnia præcedentia ſupergreſſus; ex Antecedentibus non per omnia probis, ſed tamen minùs improbis,

Conclu-

Concludit quod ante ipſum Tridentinum & Patres, & pòſt Eccleſia Rom· cetero Orbe Catholico adſentiente, diſertiſſimè improbavit: *Eſſe præcepta, quæ hominibus non tantùm infidelibus, excæcatis, obduratis; ſed fidelibus quoque & juſtis, volentibus, conantibus ſecundum præſentes quas habent vires, impoſſibilia eſſent: deeſſe quoque gratiam quâ fiant poſſibilia.*

Hoc ſanè loco nulla limitatio, ad verbum, *impoſſibilia*, quod attinet. Neque iſtud, *ſecundum præſentes, quas habent vires*, vocem iſtam afficit aut emollit; ſed fortè illas, quæ & hâc emollitione non parùm egent, *Volentibus & conantibus.* Simpliciter ait Author imprudens, *juſtis* quibuſdam quales deſcribit, *præcepta quædam Dei impoſſibilia eſſe.* Hoc culpamus: hoc cum Pontificibus Anathemate damnatum dicimus. Si quid anteà, nondum auſus tam præclara, dixit mitius; id per nos licet ut Adverſarius defendat. Sic anteà ipſum dixiſſe toleramus, quòd infidelibus, excœcatis & obduratis, præcepta quædam ſint impoſſibilia: idem in ipſo toleraverant qui propoſitionem excerpſerant; & mox oſtendimus toleraſſe Tridentinum in ipſis hæreticis. At quod hîc de juſtis (& quidem volentibus & conantibus ſecundum præſentes vires) ſimpliciter dicit, præcepta quædam illis impoſſibilia eſſe; non tolleramus, nec tolleravit Eccleſia.

Quid quod autem ad majorem hujuſce rei lucem, poſteriorem ejuſdem Propoſitionis partem nondum attigimus? Certè illa indicat, quàm ſimpliciter in priori poſſibilitas quorundam mandatorum juſtis illîc deſcriptis negetur. *Deeſſe quoque* (illis) *gratiam, quâ fiant poſſibilia*, inquit. An hîc fortè ſubintelligit, *ſecundum præſentes quas habent vires?* ita ut ſenſus ſit: *Deeſſe quoque gratiam, quâ* SECUNDUM PRÆSENTES QUAS HABENT VIRES, *poſſibilia fiant?* Nemo profectò, ac ne Adverſarius quidem noſter, id velit. Senſus ergò proſcripti Authoris fuit (ad verba ejus quod attinet) Juſtis de quibus agit, deeſſe gratiam quâ præcepta quædam ſibi poſſibilia fiant; tantùm nimirùm abeſſe ut ipſis modò ſint poſſibilia.

## CONCLUSIO VI.

*Plurimum intereſt inter hæc duo: Juſtum aliquid non poſſe à Deo præceptum; &, idem ipſi impoſſibile eſſe. Multò verò ampliùs inter duo iſta: Aliquid eſſe infidelibus, vel peccatoribus, præſertim obduratis & excæcatis impoſſibile; &, idem eſſe impoſſibile homini juſtificato.*

NOn opus erat iſta proxiliùs inculcare, niſi Adverſarius noſter, ſuum ſecutus Janſenium, iterum iterumque oſtenderet, ſe non percipere hoc diſcrimen duplex; cujus ignoratio aut inadvertentia ſtatui debet, ut vera & fundamentalis occaſio prolapſionis Epiſcopi Iprenſis.

1. Duplex hoc diſcrimen innoteſcere Janſenio poterat, & adhuc cuilibet poteſt, ex uſu Eccleſiæ & Scriptorum Eccleſiaſticorum: quem hactenus ad faſtidium perſpeximus eſſe talem, ut Juſti aliquid à Deo præceptum *non poſſe* dicantur; nullo modo verò ipſis aliquid tale *impoſſibile* eſſe: item ut impoſſibilitas mandatorum Dei quandoque aliis, ut infidelibus, obduratis &c., quodam ſenſu tribuatur; nunquam autem *Juſtis* & ſub gratiâ conſtitutis. Hoc probant exempla omnia, à Janſenio, ab Adverſario noſtro, à nobis ipſis allata: adeò ut nulla ſit hac in



parte

parte exceptio aut inſtantia; nihilque fortè in univerſa re Theologica tam conſtans, uniforme, & omnis exceptionis expers reperiri poſſit. Jam Adverſarius tentavit omnia, ut aliquid ſaltem ab hac regula difforme reperiret (nam Janſenius ne tentavit quidem, cùm ne vel ſuſpicionem talis diſcriminis habuiſſe videatur:) nihil interim invênit, quod non magis eam confirmaret. An caſu id factum eſſe putat, ut omnium ſcriptorum cohors, in ceteris ſæpè tam diſcors, hìc adeò ſibi ipſi conſonaret? Non caſus hic fuit: ſed conſtantiſſimus Eccleſiæ ſenſus ac uſus, quem mirum eſt Janſenium fugere potuiſſe.

2. Sanè ſi in tanta veterum ſcriptorum mole hoc eum latuit; quidni ſaltem ex Tridentino id perſpexit? Nihilne ergò de primo diſcrimine ſuſpicatus eſt, ubi intra eandem periodum S. Synodus ex Auguſtino in Juſtis *impoſſibilitatem* præceptorum negat; *non poſſe* verò diſertè concedit? At hæc duo eadem ſunt, inquies: ac eò perpetuò labitur Adverſarius noſter. Cur igitur Tridentinum ita exertè & datâ operâ utrumque diſcrevit? Cur ſcriptores non utrâque ſententiâ indiſcriminatim utuntur? Cur non unum ſaltem exemplum adducitur, ubi hæc eadem eſſe probentur?

3. Nunc de altero quid manifeſtius? Tametſi enim Concilium impoſſibilitatem præceptorum in aliis quàm Juſtis poſitivè non adſtruat; nuſquam tamen eam damnat: ſed ubique ſtudio de ſolis *Juſtis* agit, atque ab iis hujuſmodi *impoſſibilitatem* removet. Ut enim fatetur Adverſarius ipſe, Hæretici quos Tridentinum refutavit, non *Juſtis* ſolùm, ſed generatim hominibus in hoc ſtatu, mandata Dei impoſſibilia prædicabant. At Concilium accuratiſſimè diſcernens ſententiam pridem damnatam, ab ea locutione quâ etiam Sancti uſi fuerant; de ſolis *Juſtis* decernit, præcepta ipſis impoſſibilia non eſſe. Idque non ſemel, ſed primum ſeſſ. 6. c. 11. ac deinde ead. ſeſſ. Can. 18. Nec ſolùm quaſi obiter: ſed adjunctis & conglobatis priori loco rationibus, quæ ſpecialiter tantùm pro *Juſtis* militant: inter quas ea eſt præcipua: *Deus namque*, ait, *ſuâ gratiâ ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur.*

## CONCLUSIO VII.

*Gratiam Thomiſticè ſufficientem noſtram nec admiſit, nec admiſſurus fuiſſet Janſenius. Non riſit illam Montaltius. Juxta propria principia admiſiſſet Wendrochius. Admiſit olim Schola Lovanienſis.*

QUid de noſtris ſentiat ſenſeritve vel *Wendrochius* vel *Montaltius*, non admodum mihi curæ eſſe deberet, niſi quòd apud Adverſarium ii magni ſint, uti & apud plures alios. Itaque operæ pretium erit videre, quid ipſi de ea gratia Thomiſticè ſufficienti exiſtiment, quam ego *Juſtis* concedi poſſe exiſtimo, ad Dei mandata, dum urgent, ſaltem mediante oratione, aliiſque mediis, adimplenda.

1. Notum eſt quo pacto Wendrochius in famoſo dialogo, ſuam & Thomiſtarum ſententiam explicet de gratia per ſe efficace: ita nimirum ut ab hac diſſentire poſſit homo ſi velit, ac etiam hoc velle poſſit; nunquam tamen voliturus ſit, & ideo nec diſſenſurus: perinde ut quis in caſu ab ipſo poſito oculos ſibi eruere poteſt ſi velit, & hoc velle poteſt, ſed nunquam volet. Non diſputo quàm hoc cum quibuſ-

quibuſdam conveniat Thomiſtis: Thomiſticum tamen id eſſe vult; & reverà nullus mihi videtur modus, quo gratia *Thomiſticè efficax* intelligibilior reddi poſſit. Quidni ergò mihi liceat gratiam *Thomiſticè ſufficientem* eodem modo explicare? Per eam nimirum juſtus poterit præceptum Dei implere ſi velit, atque etiam velle poterit; ſed niſi voluntas hæc ipſi per gratiam efficacem præparetur, nunquam volet, ideóque nec implebit. Riſeritne hoc tale *Poſſe* Montaltius? Ergò etiam ridere debuerit illud *poſſe* Wendrochianum. Idem enim planè eſt, atque iiſdem innixum principiis. Juſtus ſub gratia efficace conſtitutus, poteſt ſi velit, & velle poteſt, ſed nunquam volet, gratiæ diſſentire. Idem juſtus ſub gratia tantùm Thomiſticè ſufficiente conſtitutus, poteſt ſi velit, & velle poteſt, ſed nunquam volet, gratiæ aſſentiri ſeu obtemperare. Voca illud poſſe *proximum* vel *remotum* ut voles: idem erit in utroque. Quære an *ſufficiens* vocari poſſit: eadem in utroque reſponſio erit. In priori eſt concupiſcentia quædam, ut ita dicam, *Thomiſticè ſufficiens* ad diſſentiendum: in poſteriori eſt gratia *Thomiſticè ſufficiens* ad obtemperandum. Hanc ſimpliciter *ſufficientem* nunquam vocarunt Majores noſtri in ſua Cenſura: per me licet ut nec hodie vocetur; ſed tantùm cum addito, *Thomiſticè*; eò quod vox ea ſimpliciter plus aliquid de ſufficientia Moliniana ſignificet.

2. Hanc porrò qualemcumque ſufficientiam oſtendatur mihi Janſenius admiſiſſe, & fatebor eum hac in parte ſenſiſſe rectiſſimè: præſertim ſi unà admittat, hanc etiam quamdam Chriſti gratiam eſſe, eſto non ſit illa *ſpecialis*, ut ubique vocant Majores noſtri. Qui aliàs neutiquam rejicendam putarunt iſtam quam ipſi vocant *Excitantem*, & ita appoſitè admodum eam deſcribunt in *Cenſura* ad Aſſertion. VIII. *Non aliud eſt*, inquiunt *quam interior quædam Dei ſuaſio, quæ ut vehementior ſit, magiſque quàm exterior commoveat, & imperfecta quædam deſideria ſeu velleitates excitare poſſit; cordis tamen converſionem non operatur, quin conſiſtere cum eâ gratiâ tota ipſius cordis durities rebellioque poteſt. Suadet ergò tantùm, non perſuadet: adjuvatque, ſed hactenus tantùm, ut bene facere quiſque* POSSIT SI VELIT; *non autem ut abſolutè velit, ac benè operetur, bonuſque ex malo fiat.* Ita illi: quæ certè ipſiſſima gratia eſt Thomiſticè ſufficiens: etſi, ut dixi, à *ſufficientis* nomine ſibi temperandum duxerint Majores noſtri; neque hodiedum nos, niſi jam uſus illud recepiſſet, eodem utendum putaremus.

### CIRCA

## PROPOSITIONEM SECUNDAM

### CONCLUSIO VIII.

*Plus fecit Janſenius circa Propoſitionem ſecundam, quàm Molinianæ gratiæ ſiſtema diruere.*

1. TAmetſi hanc quæſtionem *Diſquiſitor* demùm tractet Argumento III. circa Propoſitionem ſecundam: tamen primo eam loco hic tractandam putamus. Tum ob alia; tum quia hac in re utrimque nobis eſt bellum; nec contra Janſenii amatores tantùm, ſed etiam adverſùs Molinæ aſſeclas.

Si quidem utriſque (quod mirum) in hoc convenit, ut non aliud hic faciat Janſenius, quàm Molinianam, quæ fit gratiæ, reſiſtentiam refutare. Janſeniſtis quidem id volentibus (liceat uſurpare *Janſeniſtæ* nomen eo ſenſu, qui & naturalis eſt, & in aliis ejuſmodi nominibus admittitur, ut nimirum ſignificet Janſenii ejuſque doctrinæ defenſorem:) His, inquam, id volentibus, quò ſic immunis ſit à Cenſura Janſenius ſuus, ut qui non niſi Molinam impugnaverit, quem inpugnant quoque Catholici alii; Moliniſtis verò (eodem ſenſu, & ſine invidia, hoc nomen uſurpo) idem planè cupientibus, quò Molinæ ſui dogmata canonizata habeant, utpote quorum impugnator vel eo nomine quòd illa impugnaverit, ſit damnatus. Adverſus utroſque igitur ſtabiliendum eſt, plus voluiſſe Janſenium, quàm Molinam evertere.

2. Pro quo ſemel notandus eſt infelicis Authoris genius. Hanc dubiè ſcopus illius præcipuus fuit, Molinam, & totam Societatis ſcholam redarguere, & ſi poſſet, magnorum errorum ream peragere, idque collatâ cum ejus placitis S. Auguſtini veteriſque Eccleſiæ doctrinâ. Verùm ut hoc efficeret, non ſatis habuit adſtruere oppoſitum eorum quæ Molina docuerat, quod fortè illi ceſſiſſet non infeliciter: ſed oſtendere voluit, quàm longè Theologus ille cum ſua Schola ab Auguſtino totaque Antiquitate receſſiſſet. Atque in hoc conatu illi accidit, quod ſolet militi, adverſarium depellere non contento, ſed eundem ardentiùs, atque intra ipſa ſua præſidia perſequenti: quo fit ut qui viciſſet, vincatur & cadat. Vidimus hoc luculenter in Propoſitione prima. Refutabatur Molina, dum oſtendebatur, quàm non admiſiſſet Antiquitas, omnibus hominibus, etiam excœcatis & obduratis, vel infidelibus, gratiam dari, quâ illi dicerentur præcepta Dei poſſe adimplere. Cœperat hoc Janſenius: atque utinam ibi ſtetiſſet! ſed ardenti ſpiritui ſatis id non erat. Dicere debuit, & ſe probaſſe putavit, Aliqua Dei præcepta etiam juſtis (tametſi quoque volentibus & conantibus ſecundùm præſentes quas habent vires) impoſſibilia eſſe. Idem quoque de aliis propoſitionibus oſtendere poſſem: idem oſtendo de hac ſecunda.

3. Reſiſtentia quæ fit gratiæ ſecundùm Molinam, ut ipſe *Diſquiſitor* disertè fatetur, hæc eſt, ut *privetur Gratia eo effectu, quem in pariter affectis nunc habet, nunc non habet, pro ſolo nutu voluntatis.* Refellebatur ergò Molina, cùm oſtendebatur, juxta S. Auguſtinum & Antiquitatem totam, eſſe Gratiam quandam Chriſti ſpecialem, quæ ex ſua ratione habeat, ut voluntatem ſic affectam certiſſimè trahat, faciatque de nolente volentem; & quidem omnem Chriſti Gratiam, ad aliquem affectum quod attinet, ſic eſſe efficacem. Quàm feliciter id præſtitiſſet Janſenius, ſi hoc ſolùm præſtare voluiſſet! Habuiſſet conſentientes ſibi non ſolùm Thomiſtas omnes, ſed & fortè alios. Certè duce *Wendrochio* (vel quod alii jam ſuggerunt, Epiſcopo Thomiſtâ *Araujo*) libens ego acceſſiſſem viro. Nunc verò minimè ſequor longiùs abeuntem; nec jam reſiſtentem Molinæ, ſed ceteris quoque Scholis, atque adeò huic noſtræ obſtrepentem. Concedebant illæ omnes Gratiam quandam Chriſti à ſpeciali iſta diverſam, quam *Excitantem* noſtri vocabant, alii aliter. Huic propriè reſiſti, omnes fatebantur. Quid verò ille? Totis viribus contendit, ſiqua daretur talis gratia, non eam fore Gratiam Chriſti: Gratiam non eſſe, niſi referendo eam ad Actum quem certiſſimè inferat. His certè opus non erat contra Molinam: cùm ſine iis pugnent contra illum Thomiſtæ.

Vel

Vel ergò plus voluit Janſenius, quàm Molinam circa hujus Propoſitionis do-ctrinam refellere; vel, ut verbis *Diſquiſitoris* dicam, *Ultra præſtitutum ſibi ſcopum eſt provectus*: quod erat probandum.

## CONCLUSIO IX.

*Janſenius negat non quamlibet Reſiſtentiam, quæ Gratiæ fiat; ſed propriè dictam, & in Eccleſia intellectam.*

1. MUltis agit *Diſquiſitor* cap. 3. circa initium, ut probet genus quoddam Reſiſtentiæ à Janſenio admitti non debuiſſe, nempe Molinianum: varia autem alia genera ab ipſo eſſe admiſſa. Molinianam Reſiſtentiam vocat, *Cùm ſcilicet aliqua Gratia per voluntatis reniſum eo privatur effectu, quem in aliis nonnunquam habet cum iiſdem prævius diſpoſitionibus.* At circa hoc nullum illi vel Janſenio litem moveo: conſentimus hac in parte non inter nos ſolùm, ſed & cum Thomiſtis, ac præſertim *Araujo* & *Wendrochio*. Omnes nimirùm hanc Reſiſtentiam rejicimus. Tres alii Reſiſtendi modi examinandi ſunt; & diſpiciendum, num vel illos Janſenius admittat, vel omninò eos admittere ſufficiat.

2. Primus ſit quem ille ſecundum ponit: nempe *Reniſus*, quo, ut ait, *voluntatem concupiſcentiâ depravatam Gratiæ reniti, multoties Janſenius admittit*; tunc etiam nimirùm, cùm concupiſcentiam major gratiæ delectatio vincit: comparantque hanc Reſiſtentiam ei, quâ lapis pondere ſuo obnititur manui, quæ eum tamen fortiori niſu ſurſùm trahit. At mallem *Diſquiſitor* hunc Reſiſtentiæ modum omiſiſſet, ne videatur tam malè ſentire de Eccleſia, quaſi illa in Propoſitione ſecunda quoſquam damnare intendiſſet (intendit ſiquidem aliquos) qui contendiſſent voluntatem noſtram Divinæ Gratiæ ne quidem obniti; illaque forent errorum monſtra, quæ Eccleſia Spiritu Dei directa tanto molimine voluiſſet profligare. Igitur modo illo inſuperhabito, ad alium pergere lubet; eumque proponere ipſis *Diſquiſitoris* verbis.

*Diſſenſus*, inquit, *à Gratia interiori, unum eſt ex Reſiſtentiæ generibus. Atqui à Gratia interiori quoſdam diſſentire, diſertis verbis Janſenius affirmat*: Conſtat, *inquit*, multos divinitùs mente colluſtrari; imò verò & in ipſa voluntate motibus Divinæ Gratiæ percelli, qui tamen ab ejus intima ſuaſione & inclinatione diſſentiunt. *Quæ verba ab eo ex proprio ſenſu dicta, nemo jam inficiabitur.* Ita ille. Unde mox infert: *Ergo*, ait, *non omne reſiſtendi gratiæ interiori genus ſuſtulit Janſenius.*

3 Sanè ſi Scriptum meum publicum potiùs quàm privatam ſchedam conſideraſſet *Diſquiſitor*, non talia hîc objicere voluiſſet. Jam enim ſibi in anteceſſum reſponſum eſſe comperiſſet, Ipreníem Epiſcopum nihil ſibi habere familiarius, quàm ut modò obiter dare videatur, quod mox alterâ manu retrahit. Quanquam enim impetu ſpiritûs ſui, ut dixi, in prærupta & invia abripi ſoleat; non tamen fieri potuit, ut non aliqua ſubinde ei exciderint, ſenſui doctrinæque communi conformia. Et quidem omnibus paſſim errantibus idem videmus familiare fuiſſe. Omitto nigros illos, Lutherum, Calvinum, alioſque Eccleſiæ rebelles: quos adeò ſæpe catholicè loqui exiſtimes, ut ipſum Calvinum interdum à ſententia Eccleſiæ

de reali Chriſti præſentia in Euchariſtia vix diſcernas. His omiſſis cum Catholicis Catholicum, cum magiſtro diſcipulum confero, cum Baio Janſenium. Notum eſt, quàm frequentia ſint in Michaële loca,, quibus planè contraria innuere videtur iſtis quæ alibi apertiſſimè errat, ut de Charitate imperfecta, de Officiis operum infidelium &c. Nihil ergò miri, idem accidere potuiſſe Janſenio, uti in Scripto primo adverſus ejus Propoſitiones, accidiſſe oſtendimus de gratia ſufficiente Thomiſtarum, & aliis. Nec ſecus accidit circa hanc quæ gratiæ fit, reſiſtentiam. Lib. 2. de gratia Chriſti cap. 27. ſic incipit: *Nec verò moveat quemquam quòd conſtet, multos divinitùs mente colluſtrari*, &c. uti refert *Diſquiſitor* (niſi quod pro *interna ſuaſione*, malè hic poſuerit, *intima*, vitio fortè typothetæ): quibus Author videri poſſet diſſenſum à gratia, atque adeò Reſiſtentiam quæ illi fiat, admittere. Verùm oculis ſolùm opus eſt, ut perſpiciatur, quàm obiter hoc per modum objectionis interſerat (quam tamen fatendum eſt ab ipſo admitti) mox verò toto capite tam luculenter deſtruat propriè dictam Reſiſtentiam quam verbotenus admittere videbatur, ut nullum Caput præ hoc vigeſimo-ſeptimo allegandum putaverim in primo Scripto meo, quo oſtenderem hanc re ipſâ Reſiſtentiam ab illo negari.

4. Illo ſiquidem Capite totus eſt, ut omnem gratiam Chriſti tollat præter efficacem: non eo tantùm ſenſu, quòd omnis Chriſti gratia aliquo reſpectu ſit efficax, quæ & noſtra, & multorum, etiam Thomiſtarum, eſt ſententia, nec admodum faciebat ad Janſenii ſcopum: ſed ita quoque, ut gratiam nullam Chriſti actualem cenſeatur habere reſpectu cujuſpiam actûs, is qui hunc actum nondum habet. Hinc illud Auguſtini ab ipſo ibi tantopere inculcatum: *Qui novit quod eſt quod fieri debeat, & non facit; nondum à Deo didicit ſecundum gratiam, ſed ſecundum legem.* Hinc diſerta ejus verba, Auguſtinum *nullam agnoviſſe aliam actualem Chriſti gratiam*, quam efficacem: *Non aliam Chriſti gratiam medicinalem in ſcriptis ejus reperiri.* Hinc denique illud ab ipſo acerrimè ibidem rejectum: *Nihil impedire quin aliæ nonnullæ gratiæ per hominis voluntatem effectu careant.* Hæc omnia & plura in capite iſto breviſſimo. Ut proinde nihil facere debeat, quòd ejus initio obiter concedat Objectionem, in qua dicatur, quandoque à gratiæ interna ſuaſione & inclinatione diſſentiri. Sibi enim ſervaſſe putandus eſt modum quo iſta conciliaret, Diſſentiri gratiæ, & tamen, Gratiam per hominis voluntatem effectu non carere. Et quidem modum iſtum ſi inveſtigare libeat, non immeritò putabitur eſſe hujuſmodi: ut nimirum à gratiæ ſuaſione & inclinatione diſſentiatur, quia nempe opus bonum, v. g. converſionem, illa ſuadebat, atque in ipſum inclinabat: non tamen eadem careat effectu ſuo, quia opus bonum ſeu converſio, ad talem gratiam non habeat ſe ut effectus ad cauſam; utpotè cum hæc illam producere non poſſit, adeòque reſpectu illius non ſit gratia, eò quòd reſpectu ipſius non ſit efficax, præter quam gratia Chriſti actualis non datur. Hæc, ni fallor, ſola eſt ratio conciliandi Janſenium ſecum in hoc ipſo Capite, item cap. 24. Atqui ex hac ipſa conciliatione reſultat, negaſſe eum propriè dictam Reſiſtentiam quæ gratiæ fiat. Quid enim eſt gratiæ reſiſtere, niſi voluntate facere ut ea certo effectu careat, quem ſine reſiſtentia illa habere potuiſſet?

5. Atque huic notioni *Reſiſtentiæ*, omnibus naturaliter inſitæ, inhærendo, ulteriùs evertitur tertium Reſiſtentiæ genus, quod *Diſquiſitor* in auxilium advocat. *Reſiſtentia*, inquit, *genus eſt, cùm animus à gratia excitatus in ſolis deſideriis inefficaci-*

bus

*bus hæret. At id toties contingere, quoties contingit ardentiorem eſſe cupiditatem, expreſſis verbis Janſenius affirmat.* Hoc ſiquidem verum reſiſtentiæ genus foret, ſi ſub *ardentiore cupiditate* adhuc gratia illa *excitans*, vera Chriſti gratia foret in ordine ad ulteriorem Actum quo fruſtratur, adeòque verum *poſſe* ad illum tribueret, uti nobiſcum Thomiſtæ (tametſi hi obſcuriùs, & ad intelligendum difficiliùs) admittunt. Verùm hæc non admittit Janſenius: ſed voluntatem noſtram inter duo ſepta, hinc cupiditatis, inde delectationis cœleſtis, ita coërcet, ut majorem ferreâ lege ſequendo, non tam ipſa voluntas gratiæ reſiſtat, quàm Cupiditas quâ tenetur; cujusque dum major eſt, ductum eluctari nullo pacto poteſt.

## CONCLUSIO X.

*Apud Janſenium illud, Hominem operanti Deo per Gratiam non poſſe reſiſtere, idem eſt quod, Gratiæ non poſſe reſiſti. Neque hæc in re ipſi aliquid commune eſt cum Aug.*

1. ARgumento II. *Diſquiſitor* duo iſta diſtinguere nititur, ut alterum concedat à Janſenio dictum eſſe, at alterum minimè. Verùm nititur fruſtrà. Vult Ipreníem Epiſcopum non accepiſſe Gratiam ſeparatim, ſed unà cum divina voluntate cujus eſt inſtrumentum, & quidem cum voluntate abſoluta. *Hæc*, inquit, *duo longè diverſa ſunt: etſi enim Gratiæ interiori verè & propriè reſiſtatur; non tamen reſiſtitur Deo operanti per Gratiam; id eſt, non impeditur quò minùs id efficiat Deus in voluntate, quod abſolutâ voluntate decernit.* Ita ille; tam rectè nimirum, quàm parùm conformiter Janſenii ſcopo. Hic enim ſcopus ut minimùm fuit, uti ſuprà *Diſquiſitorem* monentem audivimus, diruere ſyſtema Gratiæ Molinianæ. At quis unquam Molinianorum voluit, *impediri aliquando quò minùs id efficiat Deus in voluntate, quod abſolutâ voluntate decernit?* An non potiùs ideò totum illud ſyſtema ſcientiæ mediæ induxerunt, ut Deus abſolutam voluntatem concipere poſſit, cujus executio nullo pacto impediatur? Non hæc igitur mens Janſenii fuit. Multò minùs alia, de qua quoſdam muſſitare audio: quaſi aliud iſte non velit, quàm Deo operanti non poſſe reſiſti, quia hoc ipſo quo operatur, fieri non poteſt ut non operetur. Plus voluit genius ille ardentior. Gratiam Chriſti ad ſolam Efficacem reſtrinxit, eo ſenſu quem ſuprà indicavimus: quia verò Efficaci propriè non reſiſtitur; dixit, Deo operanti per Gratiam, hoc eſt, Gratiam danti (utique efficacem) hominem non poſſe reſiſtere, idque ex natura gratiæ illius, quæ talis eſt, ut cùm certa cupiditate, nempe inferiori & infirmiori, collata, neceſſariò auferat voluntatis conſenſum.

2. Ex quo facilè patet, non eum manſiſſe intra limites doctrinæ quam tradit Aug. loco ibidem ab ipſo & *Diſquiſitore* citato. Dixerat S. Doctor, *Deo volenti ſalvum facere, nullum hominis reſiſtit arbitrium*: quod eſt veriſſimum; quis namque reſiſtat voluntati ejus, qui *omnia quæcumque voluit fecit?* Et, *voluntati ejus quis reſiſtit?* At, ut alibi dixi, non opus eſt ut Deus quoties dat Gratiam, eam det ex voluntate abſoluta ſalvandi, aut omninò obtinendi eum effectum ad quem gratia

tendit

tendit ac datur, & ad quem poſſe illud tribuit de quo ſæpiùs ſuprà. Itaque fieri poteſt, ut Deus operetur per Gratiam, & tamen ei ſic operanti reſiſtatur. Nec inſtet quiſpiam, ut aliquando Virum Eximium inſtantem audivi: Juxta Auguſtinum Deo volenti ſalvum facere non reſiſtitur; ergò nec Deo volenti operari per gratiam. Probabat ille, ut vocant, à pari. Tum verò ultrà inferebat: Igitur nec Deo operanti per gratiam reſiſtitur; facilius enim foret Deo operari volenti, reſiſtere, quam operanti. Specioſum ſanè argumentum: perinde autem vitioſum ut iſtud ſimile: Deo volenti operari per naturam, puta per virtutem Pharmacorum, nihil poteſt reſiſtere: ergò Deo operanti per naturam, puta per eadem pharmaca, non poteſt reſiſti. In quo ultimo exemplo cùm clarum ſit, voluntati Dei non poſſe reſiſti, ita ut non fiat quod ille voluerit; ſed operationi Dei reſiſti poſſe, ita ut effectum hæc non habeat, quem Deus etiam non abſolutè intendit; patet quî illud etiam locum habeat in primo: ideòque ab Aug. dici potuerit, Deo volenti neminem poſſe reſiſtere; non autem ab Iprenſi Epiſcopo, Deo operanti neminem poſſe reſiſtere.

3. Porrò his poſitis, nihil ſupereſſe videtur in omnibus à *Diſquiſitore*, ad hanc Propoſitionem ſecundam dictis, quod operoſius diſſolvi mereatur. Quod enim pro Coronide in fine Argumenti 11. ſe ſciſcitari ait à Jeſuitis & me, de Jeſuita Petavio; id, puto, reſponſione non eget. Si à Jeſuitis petit; alio hoc opere faciat, adverſus Theologos iſtos adornato: nullam etenim partem hi habent in hocce noſtro. Si à me petit; rem inutilem facit, cùm nihil mihi amplius commune ſit cum Petavio, quàm cum *Diſquiſitore* ipſo. Si denique me & Jeſuitas ideò conjungit, ut vel illis ex me, vel mihi ex illis, invidiam conflet; non ſatis dignè facit modeſtiâ ſuâ, quam in reliquo ſcripto profitetur.

## CIRCA

# PROPOSITIONEM TERTIAM.

## CONCLUSIO XI.

*Non eſt quæſtio merè Philoſophica, An ſi adeſſet homini in hoc ſtatu ſola libertas à coactione, tum ſatis liber foret ad merendum & demerendum?*

1. AD tria capita revocat *Diſquiſitor* omnem de hac Propoſitione tertia quæſtionem: queriturque quòd non ad omnia ſenſum meum aperuerim. Illud igitur jam facio, ſed ut ipſe, breviter. Primum eſt juxta ipſum, quòd fidei non ſit, indifferentia Moliniana, *quâ prævijs*, inquit, *affectibus nihil mutatis, nunc in illam nunc in iſtam partem voluntas flectitur, aut ſaltem nunc agit, nunc ab actu ceſſat.* Mihi verò mirari ſubit, quî Vir ille, ſi Scriptum meum primùm vidit, vel ullo modo me novit, dubitare potuerit, quin indifferentiam illam ego ſuſque deque habeam, imò prorſus rejiciam. Ad alterum igitur: *Sola*, ait, *à Janſenio indifferentia Moliniana ab hoc ſtatu naturæ lapſæ eliminata*

*nata eſt.* Nec probatur, nec ſi probaretur, Janſenium excuſaret; quia non de ſublata indifferentia à me arguitur, ſed de ſublata indifferentiæ, ſeu libertatis cujuſdam neceſſitate. Tametſi enim (ut fusè in *Notis* meis oſtendi) admittat ſaltem verbo, in hoc ſtatu libertatem à neceſſitate in actibus noſtris meritoriis & demeritoriis dari; tamen aſſerit eandem adeò non neceſſariam eſſe, ut adhuc actus laude & vituperio dignus foret, ſi abeſſet. Ceſſat proinde etiam Tertium de Indifferentia Thomiſtica à Janſenio admiſſa. Quartum præcipui momenti eſt, quod *Diſquiſitor* his verbis exprimit: *Quæſtionem eſſe ſcholaſticam, & neutiquam à ſummis Pontificibus definitam: an libertas ad merendum & demerendum neceſſaria, quæ ratione ſtatûs hic indifferentiam Thomiſticam perpetuò habet annexam, in alio ſtatu qui cogitatione tantùm percipi poteſt, poſſet omni indifferentiâ carere.* Atque mox poſteà eandem quæſtionem vocat *merè Philoſophicam.* At verò vel ſtatum Quæſtionis quæ reſtat, non ſatis percepit ac expreſſit; vel immeritò illam *merè Philoſophicam* vocat. Certè jam pridem multos offendit, quòd Quæſtiones *de libertate* nimis facilè ad Philoſophiam ablegentur: cùm in iſtis magna pars Theologiæ ſita fuerit, quâ Eccleſiæ primùm adversùs Manichæos, ac deinde adverſus noviſſimos ſectarios, alioſque nuper & pridem dimicavit. Itaque ſtatuamus exactiùs ſtatum Quæſtionis de qua agitur contra Janſenium: & tum an merè ſit Philophica, nec ab Eccleſia definienda, videamus.

3. Uti latiùs in ſcripto priori, ſeu *Notis* deductum eſt, non auſus eſt affirmare Janſenius, Actus noſtros quibus nunc meremur vel demeremur, ſola cum libertate à coactione fieri: ſciebat hoc pridem à Doctoribus Catholicis, ipſoque S. Thoma, ut hæreticum reprobatum. Admiſit ergò non ſemel, verbo ſaltem tenùs, adeſſe indifferentiam, ſeu libertatem à neceſſitate. Verùm contendit, hanc adeò non eſſe neceſſariam, ut quamvis abeſſet, nihilominùs illi liberi forent; non libertate quâdam eſſentiali; quis enim hoc ignorabat, aut ei negâſſet? ſed tali quæ ad merendum ac demerendum ſufficeret. Quam doctrinam ille meritò prævidet *miram viſum iri ſcholaſticis*, ut ait lib. 6. de Grat. Chr. c. 6. Vide ſis Lector, dicta à nobis ſcripto illo priori, quibus ſat ſuperque demonſtratur, hanc reverà eſſe proſcripti Authoris ſenſum: adeò ut rurſùs more ſuo *Diſquiſitor* ea diſſimulare malit, tanquam ſibi non viſa, ſolumque aliquid dicere adverſus ſchedulam non publicæ luci deſtinatam. Hanc porrò Janſenii de libertate doctrinam, ſi *Diſquiſitor* Philoſophicam ſolùm vocet; ſanè nec Veritati, nec ſuo quidem quem defendit Scriptori ſatis conſonabit. Ad hunc enim quod attinet, adeò ille non credidit hanc quæſtionem merè Philoſophicam eſſe, ut nullam penè fuſiùs & operoſiùs, toto libro illo 6. ex omni Theologorum, Patrum, Scholaſticorum genere, adſtruere ſit conatus. Veritati verò quid magis abſonum eſſe poteſt, quàm ad Philoſophiam, non autem ad Theologiam orthodoxam ſpectare, Qualis requiratur ad merendum & demerendum in hoc ſtatu libertas? Et verò cur ſimiles de Libertate quæſtiones non æquè ad doctrinam Chriſtianam pertineant, quàm de Gratiâ? Sit quiſpiam qui de Gratia ita deſipiat, ut dicat, jam pridem nullum hominem, ſive in hoc ſive in primo ſtatu, ſine gratia ſervaſſe Dei mandata: at nihil obſtare, quo minùs etſi gratia homini cuipiam quem Deus nobis ſimilem crearet, deëſſet; poſſet hic tamen Deum amare ceteraque ejus implere mandata. Quid de homine illo dicemus? An Philoſophicè tantùm eum aberrare, utpote qui in hypotheſi loquitur quæ nunquàm

in rerum natura ſubſiſtet? Non exiſtimo: cenſebitur enim ille ſub hypotheſis illius prætextu cauſam Pelagianorum fovere, ac neceſſitatem tollere Divinæ Gratiæ. Idem ergò hìc de infauſto Scriptore cenſendum. Hypotheſin adhibet, & de re loquitur quam ipſemet non exiſtere credit: at ſub hoc prætextu neceſſitatem libertatis illius tollit, quam fatetur omnibus jam adeſſe. Quid verò in hoc, dices, mali? Rogas? Uti ſolent errores erroribus naſci: ſit modò qui porrò auſit & dicat, in multis quidem nos ſolâ libertate à coactione uti, ſive ob Gratiam quandam neceſſitantem, ſive ob Cupiditatem nobis ineluctabiliter dominantem; agere nos tamen ſatis liberè ad in iis merendum & demerendum, cùm juxta Authorem celebrem nihil repugnet quemquam cum ſola libertate à coactione mereri. Nunquid is egregiè ſe tuebitur Janſenii ſententiâ, quam pro ea parte amplectetur, pro alia verò, quâ ſtatuit nos etiam libertate à neceſſitate gaudere, rejiciet? Denique ſi quæſtio tantum Philoſophica eſt, quà quæritur quid foret de libertate in hypotheſi quæ nunquam in rerum natura ſubſiſtet; Quid dicemus de hac quorundam & ipſius Janſenii quæſtione: An ſi ſola nobis ea libertas ſuppeteret, quâ Beati in cœlis Deum diligunt; adhuc ſatis liberi eſſemus ad merendum & demerendum? An ea quoque merè eſt Philoſophica? Certè immeritò ſic illi eam tam operosè in Theologia diſputarent, nullo territi magnarum turbarum periculo, quod ex illa prævident, imò coram vident. Maneat itaque, non Philoſophicum quid, ſed valdè Theologicum, in Epiſcopo Iprenſi proſcriptum eſſe; quod fuit demonſtrandum.

## CIRCA
# PROPOSITIONEM QUARTAM.
## CONCLUSIO XII.

*Immeritò accuſatur Author, quòd non ſatis diligenter tractaverit hujus Propoſitionis materiam.*

1. QUia *Diſquiſitor* vix aliquid novum, aut meis contrarium, hìc movet; nolo ego ipſo eſſe prolixior. Tantum obiter noto, quàm immeritò hoc loco & aliis mihi objiciat, non ſatis me diligenter mea probaſſe in ſchedula quam impugnat: *Siquid*, ait, *effectum cupiebat, diligentiùs à ſchedulæ ſcriptore tractari debuerat.* Ergòne ſi quis Amico ſchedulam tradat privatim habendam, quæ illi pro indiculo ſit, quo loco Propoſitiones quædam reperiri, & quâ viâ impugnari poſſint; is culpari poterit, quòd non omni diligentiâ argumenta quæ indicat, ſint deducta? Quid ſi inſuper idem poſteà alio ſcripto Argumenta illa diligentiùs deduxerit, illudque publici juris fecerit? Eritne ferendum, quòd eo ſcripto publico diſſimulato, edatur (& ipſo quidem inconſulto) ſchedula iſta cum exprobratione, quòd non ſatis diligenter ſua tractaverit? Sic interim actum aſt mecum ab iis qui *Diſquiſitionem* ediderunt: nam fortè *Diſquiſitor* ipſe ne quidem conſcius fuit. Schedula mea, cujus vix memoriam, nedum copiam, Româ redux retinueram,

me inconſulto vulgata eſt, cum Reſponſo, in quo ſingulis penè foliis mihi inſultatur, diligentiùs mihi probanda fuiſſe quæ dumtaxat indicaveram: quaſi nimirum ſchedulam illam ego adornaſſem, tamquam quâ ingentes Janſeniis tomos examuſſim refutarem; aut omninò prævidere potuiſſem, fore aliquando qui eam ſic neglectim exaratam & Amico creditam (novo amoris ordine) evulgaret. Adde hoc ipſum factum eſſe, poſtquam jam ſcriptum aliud, *Notas* nimirum meas, publici juris feciſſem: notabili nimirum artificio, ut cùm audiret aliquid edidiſſe contra Janſenium; putarent omnes, nihil id eſſe aliud quàm *ſchedulam* iſtam, fortè nonnihil extenſam, ſed nihil novi argumenti continentem.

2. Certè diligentiùs in *Notis* iſtis excuſſi errorem Janſenii hiſtoricum circa primam Quartæ Propoſitionis partem. Nec minimum quidem adfert *Diſquiſitor*, quod ſententiam ibi meam infirmet. Conferantur utrimque dicta, & Lector judicet. Ad principalem verò ejuſdem Propoſitionis partem quod attinet, rurſùs me refero ad dicta cùm in *Notis*, tum in his ſuprà, circa Propoſitionem ſecundam.

## CIRCA
## PROPOSITIONEM QUINTAM.

### CONCLUSIO XIII.

*Notarum Author non ſolùm Janſenium temerariæ accuſat Cenſuræ, ſed planè ejus erroris quem in ipſo Pontifices Rom. damnarunt.*

NOn parùm exultat *Diſquiſitor*, quòd credat Janſenium, ad hanc 5. Propoſitionem quod attinet, non inſimulari à me doctrinæ falſæ aut hæreticæ, ſed temerariæ dumtaxat Cenſuræ. At tamen hâc meâ, quam vocat, indulgentiâ ita effertur, ut nuſquam in me feratur minùs indulgenter. Verba ejus immitiora non referam, quia non eſt propoſiti mei ut refellam. Verùm aberrat ſtrenuè, ubi me putat fuiſſe in Janſenium ſuum tam indulgentem. Vidiſſet tantùm *Notas* meas: perſpicuum erat quo loco haberem inauſpicati Doctoris ſententiam circa mortem Chriſti pro omnibus. Sed nec in ſchedula iſta mea, quam ipſe impugnat, temerariam tantùm illi attribuo Cenſuram; verùm doctrinam planè falſam, & talem qualem Pontifices declararunt. Illìc enim primùm concedo, *S. Auguſtinum & alios ſic quandoque locutos eſſe, ut bono ſenſu dicerent, Chriſtum pro ſolis prædeſtinatis eſſe mortuum*: ideoque dico, fortè & Janſenium excuſari potuiſſe, ſi ſolùm phraſi & ſenſu Auguſtini dixiſſet, Pro ſolis prædeſtinatis mortuum eſſe Chriſtum. At culpo quod ultrà *improbaverit Catholicum quoque aliorum ſenſum, juxta quem pro pluribus mortuus eſt*. Hic verò *Diſquiſitor*, ut etiam ex me comprobet adamati Authoris ſententiam, videri vult me ſolùm culpaſſe, quòd is nimis durè cenſuraſſet aliorum ſenſum. Quod quidem verum eſt illum feciſſe; duriſſimè namque cenſuravit, & reipſa Semipelagianum dixit: at mihi ſuffecit

quòd

quòd *improbaſſet*, quòd falſum aut errorem eſſe dixiſſet: uno verbo, quod cum negaſſet, ac admittere detrectaſſet. Aliud namque eſt, è ſenſibus diverſis unum quempiam amplecti, qui malus non ſit: aliud, ceteros qui etiam boni ſint, aſpernari, aut ſimpliciter rejicere. In primo ſiquidem, affirmatio bona eſſe poteſt: at in altero negatio eſſe mala. Quamquam ergò Janſenius nihil facinoris admiſiſſet, dicendo hodie quod olim veteres dixêre, Chriſtum bono ſenſu pro ſolis prædeſtinatis mortuum eſſe: peccavit tamen, & quidem graviter admodum, rejiciendo aliorum, nominatim Proſperi, ſententiam Catholicam, Pro omnibus illum omninò ſanguinem ſuum fudiſſe. Nec quis iterum dicat, eadem illa eſſe, vel ſaltem talia quorum unum ex altero neceſſariò conſequatur: quaſi nimirum qui alterum iſtorum ſenſuum adſtruit, alterum negare debeat. E duobus enim quæ ambo ſuo ſenſu rectè dici poſſunt, qui primum ait, is non ideò ſecundum negat. Atque hoc ſatis, de victoria quam ſibi immeritò canit *Diſquiſitor*, ex indulgentiore modo quo Janſenium tractaveram in ſchedula mea. Quod ſi tamen ei non ſatis fuerit; inveniet indulgentiam illam qualemcumque correctam in *Notis*.

## CONCLUSIO XIV.

*Janſenius malè rejecit ſententiam Proſperi de morte Chriſti pro omnibus omninò, quæ nunc eſt Eccleſiæ Catholicæ.*

1. Rejeciſſe illum S. Proſperi viam, negare auſus non eſt *Diſquiſitor*? apertè etiam fatetur Author *Appendicis* pag. 30. cauſatus tantùm, id illum facere non *faſtidiosè*, ſed *ſummâ quâ licet modeſtiâ*. Et verò negari id non poterat: verba enim perſpicua ſunt lib. 3. de Grat. Chriſt. cap. 21 §. 3 *Quia*, inquit, *Proſpero antiquior ac doctior Auguſtinus, nunquam in ſcriptis ſuis fatetur, Chriſtum pro omnibus nullo excepto ſe dediſſe redemptionem &c.* (quæ erat Proſperi via): *hinc genuiniùs veriùſque reſpondemus &c.* Ac deinde multis interjectis ſeipſo iterum major: *Nec enim juxta doctrinam Antiquorum, pro omnibus omninò Chriſtus paſſus aut mortuus eſt, aut pro omnibus omninò tam generaliter ſanguinem ſudit, cùm hoc potius tanquam errorem à fide Catholica abhorrentem doceant eſſe reſpuendum.* Tum ſub ejuſdem Capitis finem: *Quæ ſanè cum in Auguſtini doctrina, perſpicua certaque ſint; nullo modo principiis ejus conſentaneum eſt, ut Chriſtus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro juſtorum non perſeverantium æternâ ſalute mortuus eſſe, ſanguinem fudiſſe, ſemetipſum redemptionem dediſſe, Patrem oraſſe, ſentiatur.* Atqui hoc eſt, puto, ipſiſſimam S. Proſperi viam negare, improbare, rejicere, ne dicam damnare. Et reverà cohibere me nequeo, quin credam ipſum putaſſe, hujus S. Patris ſententiam, quæ mortem Chriſti bono ſenſu ad omnes omninò, nemine excepto, extendebat, à Concilio Valentino & Eccleſia Lugdunenſi damnatam fuiſſe (quidquid alibi molliùs de Proſpero loquatur) utpote cùm hæc Eccleſia illudque Concilium, ſenſu quodam tunc penè communi, ad ſolos fideles eandem mortem reſtrinxerit, adeoque videri poſſit, *non tam generaliter* ut Proſper, fuiſſe locutum. Quod quomodo falſum ſit, & quo ſenſu tunc temporis in Gallia,

Gallia, non Proſperi, ſed aliorum quorundam, incondita de morte Chriſti pro omnibus etiam damnatis ſententia fuerit improbata, ab aliis fuſiùs eſt declaratum.

2. Nunc verò poſtquam ſatis patet, ne Proſperi quidem ſententiæ peperciſſe Janſenium, aſſerendum eſt breviter quod in *Notis* diximus, integrum non fuiſſe Janſenio à via Proſperi diſcedere, utpote quam Eccleſia jam pridem amplexa eſt, & ſuam effecit. Probatum id erat primùm ex Trid. ſeſſ. 6. cap. 3. ubi S. Synodus de Chriſto ait: *Etſi ille pro* OMNIBUS *mortuus eſt*, *non* OMNES *tamen mortis ejus beneficium recipiunt.* Ubi notavimus, ſine æquivocatione indecentiſſima non potuiſſe aliter accipi vocem, *Omnibus*, quàm accipiatur mox illa, *Omnes*; ſcilicet pro *Omnibus* omninò. Hoc verò argumentum duobus infringere nititur author iſtius animoſulæ *Appendicis.* Primum eſt, quòd ita explicatio Auguſtini de *generibus*, ut vocant, *ſingulorum*, damnata foret; quod nemo ante me notaverit in Tridentino. Verùm jam ſatis oſtenſum eſt, ſententiam Auguſtini & Proſperi non repugnare: dummodò qui alteram ſequitur, alteram non rejiciat. Plena ſenſibus eſt Scriptura, etiam illa ipſa de qua agimus. Auguſtinus quoſdam tenuit: Proſper etiam unum adjecit. Sicut Auguſtinus ſuos ſenſus tenens, illum Proſperi ſui non rejecit; ita nec Proſper ſuum addens, illos ſui Auguſtini repudiavit. Adeòque nec Eccleſia, ſenſum Proſperi confirmans, aliquid egit contra Auguſtinum. At ſicuti qui Proſperum ſequens, Auguſtinum rejiceret, ejuſque ſenſum ſubmoveret; is peccaturus foret in tantum Doctorem: ita Janſenius ſic Auguſtino inhærens, ut Proſperum ſubmoveret; non jam in Proſperum peccavit, ſed in Eccleſiam quæ huic ſe conformavit. Sed hoc ipſum rursùs confirmandum eſt.

3. Nihil illic agit Eccleſia (ſi fides Adverſario noſtro) quo Proſperi viam amplectatur, atque mortem Chriſti pro *omnibus omninò* adſtruat. Quod enim verbis ſupracitatis agit Synodus, nihil aliud eſt juxta ipſum, quàm quod verba quædam Scripturæ explicet. *Hic eſt*, inquit, *ſenſus naturalis, obvius, germanus, Concilii Tridentini: etſi Chriſtus pro omnibus mortuus eſt (hoc eſt, etſi ea locutio ſecundùm Scripturas vera ſit, Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe) non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt:* & quidem ſi ipſi rurſum fides, noluit Concilium evolvere hanc difficultatem, quo pacto duo iſta ſimul conſiſtant. Quaſi verò Concilium Scripturas hìc citet, aut eas ſibi objiciat: & non potiùs mutuatis Scripturarum verbis, iis tanquam ſuis loquatur. Ut proinde rurſus dicendum ſit, indecentiſſimam æquivocationem fore, ſi in eâdem, eâque breviſſimâ periodo, interpoſitâ etiam particulâ adverſativâ, *Tamen*, ſemel *Omnes*, pro ſingulis generum ponerentur, ſemel pro generibus ſingulorum: perinde planè ac ſi quis diceret, *Etſi omne animal fuerit in Arca Noë; non tamen omne animal illic invênit quo viveret*; velletque hanc ſuam aſſertionem falſam, inhoneſtâ & nulli facilè obviâ æquivocatione tueri, quòd priori loco de generibus ſingulorum, poſteriori de ſingulis generum loqueretur.

## CONCLUSIO XV.

*Duo loca Apoſtoli ſenſum S. Proſperi & Eccleſiæ confirmant.*

1. ALterum denique erat non tam argumentum, quàm adminiculum, pro ſenſu Proſperi de morte Chriſti pro omnibus omninò: quòd nimirum hic multò magis conſonaret modis aliquot loquendi Apoſtoli Pauli, nominatim Rom. 14. *Et peribit infirmus in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt*: item 1. Cor. 8. *Noli cibo tuo illum perdere pro quo Chriſtus mortuus eſt.* Quæ ego dicta Apoſtolica ſic intellexi, ut ſenſus foret: Chriſtum pro fratre iſto perituro mortuum eſſe, ad hoc ne is periret, nempe morte æternâ. Hunc ſenſum dixi naturalem, & à quo non ſine incongruitate diſcederetur: oſtendique adeò quæ foret incongruitas in altero ſenſu, quem tamen ſcirem à Catholicis teneri. Eò autem efficaciorem credidi futuram apud Adverſarios meos hanc rationem, quòd viderem homini, magni apud eos nominis, naturalem eſſe viſum hunc Apoſtoli ſenſum. Is erat celebris ille *Montaltius* in Epiſtolis famoſis ad Amicum Provincialem. Quippe cùm in Epiſt. XIV. ad terrendos eos qui injuſtos rerum aggreſſores temerè interficiunt, poſuiſſet hanc periodum ſanè gravem: *Qui ex Jeſuitarum decretis fratres ſuos à crimine recentes interficiunt, hi tartaro dimittunt illos pro quibus Chriſtus mortuus eſt*; Epiſtolâ XVII. addidit: *Parùmne apertè profeſſus ſum, pro illis damnatis mortuum eſſe Chriſtum, ac proinde non pro ſolis prædeſtinatis mortuum eſſe, quod in quinta Propoſitione meritò proſcribitur*? Hunc ergò videbam, cùm Apoſtoli verbis uteretur, ſic ſe voluiſſe intelligi, ut apertè cenſeretur profeſſus, pro damnatis (utique ne damnarentur) mortuum eſſe Chriſtum. Credidi ergò, gratum fore amatoribus & admiratoribus ejus, ſi eundem Apoſtoli ſenſum dicerem maximè naturalem eſſe. Occurrit tamen *Appendicis* author, & ſuo more nihil non ciet, ut hunc ſenſum evertat: quem proinde contra conatus ejus breviſſimè aſſerimus.

2. Totus eſt Adverſarius, ut probet de *perditione æterna* loca duo Apoſtoli non intelligi. Argumenta illius ad hoc breviter reducuntur: quòd de perditione Apoſtolus agat, quæ fit per peccatum lethale (quo nempe deſtruitur opus Dei); non omne autem lethale peccatum ſit ad mortem, neque omnes eo peccantes, ad reproborum claſſem ſint redigendi. Sed minimè moverant hæc præſtantiſſimum Pauli interpretem, G. Eſtium, quin eadem prævidens, etiam appoſitè præveniret: *Senſus eſt*, ait, *Et peccabit frater infirmus comedendo idolothytum*, ..... *& peccando peribit, id eſt à ſalute excidet in* ÆTERNUM PERITURUS, *quantùm eſt ex parte peccati* ..... *eumque perdis, quem Chriſtus in tantum dilexit, ut* PRO EJUS SALÙTE *mortem oppetere non dubitarit.* Ita ille in 1. Cor. 8. profundius certè ibi ingreſſus Apoſtoli mentem, quàm in Rom. 14. ubi de perditione temporaria potiùs intellexerat. Sanè voces illæ, quibus hîc utitur Paulus, per ſe interitum æternum ac damnationem ingerunt. *Perire* quidem ita, ut Salvator hæc alicubi tanquam immediata opponat, *Perire*, &, *Habere vitam æternam*: *Non pereat*, inquit, *ſed habeat*

beat vitam æternam. Et alibi neminem ſe *perdidiſſe* ait (nempe æternaliter) neminem *periiſſe*, niſi filium perditionis. Sic alibi intelligit, *Animam perdere*, nempe ut idem ſit quod *Animæ detrimentum facere*. Alicubi etiam majoris claritatis ergò exertè dicit, *Perdere in gehennam*. Et Paulus ubi dixit Rom. 14. *Noli cibo tuo illum perdere*; paulò poſt idem explicans dicit: *Qui autem diſcernit, ſi manducaverit*, DAMNATUS EST, eo ſenſu quo alibi, qui non credit in filium, jam judicatus eſt. Et alibi, *Hi qui pereunt*, manifeſtè intelliguntur, qui damnantur. Quin & ipſe Aug. loco famoſo à Janſenio ſæpè, & ab *Appendicis* authore citato: *Non* PERIT *unus ex illis*, inquit, (nempe æternùm) *pro quibus mortuus eſt Chriſtus*. Adeò *Perire* illud, famosè & naturaliter ſtat pro *perditione æternâ*. Nec movere debet, quòd non omnis qui peccat lethaliter, æternum damnetur: quia ad remedium pœnitentiæ non reſpicit Scriptura, dum à peccatis deterrens, debitam pœnam iis damnationis æternæ attribuit; ſed conſiderat crimina cum eo effectu, quem per ſe habent. Et ita ſatis eliditur quidquid Adverſarius vanè inſultabundus obtendit.

## CONCLUSIO XVI.

*Non tantùm docuit Janſenius*: Chriſtum non habuiſſe voluntatem abſolutam promerendi per mortem ſuam omnibus reprobis gratias ſufficientes Molinianas aut efficaces, quibus ab æterno interitu liberari actu & effectivè poſſent; *ut vult Diſquiſitor*.

1. DUo rursùs ſunt genera hominum, in hoc mirè convenientium, Non aliud docuiſſe Janſenium, circa propoſitionem hanc 5. quàm contradictorium doctrinæ Molinianæ: Janſeniſtæ nempè & Moliniſtæ. (Rursùs ſumo hæc nomina propriè & ſine invidia). Hi quidem unicè hoc contendentes, ut Canonizent Molinam adveſùs ſcholam SS. Aug. & Thomæ: illi verò ut adamatum Janſenium à Cenſura vindicent, quidquid interim inde detrimenti capiat ſana doctrina. Contrà utroſque igitur denuò aſſerendum eſt, quid reverà Janſenius hac in parte docuerit.

2. Proculdubio ratio & finis, cur Janſenius ea dixerit quæ dixit circa hanc Propoſitionem 5. is fuit evertere Molinianorum doctrinam de Gratiis ſufficientibus omnibus datis. Unde ipſum Caput, ubi habet damnatam doctrinam, ſic incipit: *Sed aliud argumentum pro gratia ſufficienti omnium proferri ſolet, quia Chriſtus eſt redemptor omnium ..... Nec enim redemptio omnium ullo modo videtur eſſe poſſe, niſi gratiam ſaltem ſufficientem omnibus præparaverit.* Huic autem argumento cùm reſponderi potuiſſet, vt ante Janſenium reſpondere ſoliti erant ſcholæ Auguſtinianæ & Thomiſticæ Profeſſores, ipſaque adeò Eccleſia in Concilio Tridentino (quod in *Notis* oſtendimus): Chriſtum quidem pro omnibus mortuum eſſe, ſed non omnes beneficium mortis ejus recipere; maluit infelix Author more ſuo altiùs hujus argumenti radices excidere; neque quod alii factitabant, Conſequentiam negare, ſed, quod eximium & ſingulare erat, ipſum Antecedens. Totus ergò incubuit, ut probaret, non rectè dici Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus omninò, ſed ſolùm pro prædeſtinatis. Patet hoc præcipuè ex §. qui ſic incipit: *Ex*

*quibus*

*quibus omnibus*, inquit, *jam ſatis arbitror patere, Argumentum iſtud, quo Chriſtus pro omnibus paſſus & mortuus, vel redemptionem ſe pro omnibus dediſſe dicitur, nihil omninò pro auxilio ſufficienti omnibus nemine excepto, ſuppeditando facere.* Cur verò, Corneli, nihil illud argumentum facit? An quia non ſequitur: Pro omnibus omninò mortuus eſt Chriſtus, ergò omnes omninò gratias ſufficientes habent? Minimè. pervulgata eſt iſta argumenti illius ſolutio. Dicendum eſt aliquid quod ſcholaſticis mirum videatur. *Nec enim*, pergit, *juxta doctrinam Antiquorum*, quam nempe unicè tueri oportet, *pro omnibus omninò Chriſtus paſſus aut mortuus eſt, aut pro omnibus omninò tam generaliter* (nemine excepto, ut ſuprà dixerat) *ſanguinem fudit; cùm hoc potiùs tamquam errorem à Fide Catholica abhorrentem doceant eſſe reſpuendam.* Hæc ergò doctrina ejus eſt. Hoc damnavêre Pontifices.

3. Quod etiam de voluntate abſoluta eum dixiſſe contendit *Diſquiſitor*, non tam doctrinam ejus ingreditur, quàm doctrinæ probationem. Probat eam nempe §. *ſed quia*, his ferè rationibus: *Quia*, ait, *ipſa phraſis quâ quis dicitur ſe pro aliquo redemptionem dare, præ ſe ferre videatur redemptionem, ex redimentis animo, in uſum ac liberationem captivorum offerri ac dirigi, quæ oblatio ac directio Chriſti inanis eſſe non poteſt; & quia alioquin etiam pro dæmonibus ſe dediſſe redemptionem dici poſſet, quibus redimendis ſine dubio pretium ſanguinis ejus eſt ſufficiens.* Eadem & ſimilia repetit alibi: in hoc ipſo errans, quòd putet iſtud (Paſſum, crucifixum, mortuum eſſe; ſe redemptionem dediſſe, vel propitiatorem eſſe, pro omnibus) ſic dicere abſolutam Chriſti voluntatem ſalvandi omnes, ut ideò rejiciendus fuerit eorum loquendi modus & ſenſus, qui Chriſtum pro omnibus omninò mortuum eſſe dixerunt. Alioqui ſi verum ſit quod *Diſquiſitor* non ſemel contendit, nihil aliud voluiſſe Janſenium, quàm pro ſolis prædeſtinatis *abſolutè ſalvandis* mortuum eſſe Chriſtum; quid dixiſſet Janſenius quod non diceret quilibet Moliniſta? Igitur hoc quidem dixit Janſenius, in eo ne vel Molinâ judice condemnandus: at ex illo intulit; Igitur pro ſolis prædeſtinatis Chriſtum mortuum dici poſſe, aliud verò ab Antiquis eſſe reprobatum. Et hoc Eccleſia proſcripſit.

## CONCLUSIO XVII.

*Admodùm diſparata eſt ſimilitudo in fine* ſpongiæ *allegata, ad probandum non pro omnibus omninò eſſe mortuum Chriſtum: ideòque corrigenda.*

1. EXemplo familiari Janſenii ſui doctrinam illuſtrat animoſus *Appendicis* Auctor, & ut ſibi ipſi quidem videtur, rem conficit. *Si vir opulentus*, inquit, *pro filio ſuo dilectiſſimo, cum variis ſodalibus per Turcas capto, perquàm immenſam pecuniæ ſummam, quæ liberandis omnibus ſatis eſſet, in lytrum daret, ita tamen ut intentio ejus ferretur in ſolam redemptionem filii; quæro, an rectè diceretur vir iſte pro redimendis mancipiis illis omnibus tot auri millia profudiſſe? Et tamen hic etiam communis eſt omnium cauſa, & habet in ſe theſaurus ille, ut omnibus prodeſſe potuiſſe, ſi benevolentia opulenti patris ſe perinde in alios atque in chariſſimum filium explicaſſet.* Hæc ille: quibus nimirum everſum putat quidquid in Notis ex Proſpero & aliunde

unde adduximus, ad oſtendendum quâ ratione Chriſtus propriè mortuus ſit pro omnibus; etiam reprobis, & his præcipuè qui temporariâ juſtitiâ aliquando decorati, gratiam habuerunt quâ perſeverare poſſent, etſi non illam quâ perſeverarent.

2. Verùm quanta deſint huic ſimilitudini, nemo non videt. Faceret aliquid adversùs illos, qui meram pretii ſufficientiam crudè intellectam obtendunt, ad aſſerendam mortem Chriſti pro reprobis. Aſt nos poſt Proſperum in primis conſideramus, quòd pretium iſtud magnum ſic oblatum ſit, ut virtute ejus inſtituta ſint media generalia, à quibus nemo hominum etiam reproborum conditione ſuâ arceatur, quibuſque pretium illud ex Offerentis intentione omnibus applicari poſſit; tametſi efficaciter Hic non velit omnibus applicari, eò quòd videat Patrem id nolle. Remedia hæc ſunt, ſive ſupernaturalia, ut Sacramenta &c., ad quæ Tridentinum; ſive naturalia quædam omnibus paſſim conceſſa, ad quæ Proſper, ſeu quiſquis eſt Author de Vocatione gentium, potiſſimùm reſpexit. Nulla certè talia *Vir ille opulentus*, de quo in allegata ſimilitudine, inſtituit. Multò minùs mancipiis illis facultatem dedit, quâ poſſent (tametſi ignaviâ ſuâ nolint) pretium illud ſibi applicare; uti Deus reprobis, ſed temporariè juſtificatis, noſtrâ quidem & Thomiſtarum ſententiâ, gratias horum ſenſu ſufficientes dedit, quibus virtute pretii à Chriſto oblati pergere in via ſalutis poſſent. Hæc eſt igitur illa cauſa omnibus communis, ſed præſertim reprobis iſtis pro tempore juſtificatis. Hoc eſt quod reprobi, etiam omnes, habent præ diabolo in lytro mortis Chriſti. Hoc eſt denique quod habent præ mancipiis illis in ſimilitudine allegatis. Habet unde *Spongia* corrigat exemplum ſuum. Quod ſi nolit, nos pro ea corrigemus.

3. Sit opulenti viri filius primogenitus, miſericors admodum, non erga fratres tantùm, ſed ceteros quoque domeſticos Patris ſui. Omnes hi ſimul à barbaris capiuntur. Offert bonus frater peculium quod habet immenſum, junctâ quoque Patris liberalitate, pro captivorum liberatione: obtinetque ut ſuppetant media generalia quibus poſſit omnibus lytrum applicari, Patre interim ſevero (cui filius non velit adverſari) nolente ut domeſticis perinde ac filiis certiſſimè applicetur; ſic ut certum ſit his ſolùm, non illis, reipſa applicatum iri, ſed hoc in multis ob ipſorum ignaviam, quippe quibus proviſum ſit de mediis quibus evadere poſſent. Quid dicemus de Filio iſto pio & liberali? an non pro omnibus lytrum obtuliſſe? ac præſertim pro domeſticis illis, quibus ultra media generalia, adhuc propiùs in manibus erat ut evaderent? ſic puto. Atque hæc ſimilitudo haud dubiè propiùs ad rem accedit: ut ſimilitudo tamen, & quidem infirma admodum. Multò enim perfectiùs Filius ille unigenitus, fratrumque ſuorum primogenitus, J. C. peculium ſuum, imò ſeipſum, pro omnium ſalute, conformiter tamen æterni Patris beneplacito, obtulit.

## CONCLUSIO XVIII.

# FINALIS ET APOLOGETICA.

*Immeritò Notarum Author de variis notatur in* Spongiæ *Appendice & Proœmio.*

1. TAmetſi initio dixerim, nihil me repoſiturum ad dicteria *Spongiæ*; meritò tamen repoſuero pauca ad accuſationes, quæ videri poſſent dicteriorum fundamenta. Prima eſt, quòd benè ſopitos controverſiarum ignes videri poſſim ſuſcitaſſe circa *factum*, ut vocant, Janſenii. Alia, quòd id fecerim, Doctor Univerſitatis Lovanienſis, & non ita pridem apud Iprenſes Canonicus: quo duplici titulo videbar à Janſenio, Lovanienſi item Theologo, & Iprenſi Epiſcopo, manum abſtinere debuiſſe. Accedit quòd Collegii Baiorum Præſes exiſtens, ampliùs deferre debuiſſe videar, cùm Baio ipſi, tum Janſenio fideli Michaëlis diſcipulo. Denique quòd *Janſeniſtæ* nomen novo more definire auſus fuerim. Ad quæ omnia breviter ita reſpondeo.

2. Ad primum quidem, multò alias fuiſſe controverſias, quà in Gallis, quà alibi, circa Janſenii factum, quàm quæ hic à me tractatur. Agebatur, an qui *Facto* ab Apoſtolica Sede, & Galliarum Epiſcopis, definito, ſine exceptione ſubſcribere, ſimpliciterque deciſioni Pontificiæ acquieſcere, nollent; hi haberi non deberent ut rebelles Eccleſiæ, adeoque ab ea extorres, & quibus aquâ & igni interdicendum foret. Hanc tempeſtatem ſic Clemens IX. in Gallia compoſuit, ut tamen ad honores in Eccleſia nemo illîc etiamnum admittatur, qui non ſimpliciter Formulario ſubſcripſerit. Neque ego eamdem excitavi: ſed econtrà diſertè profeſſus ſum, me contraria ſentientes in communione Eccleſiæ pacificè habiturum, quamdiu eos ſic haberi viderem ab Eccleſia Rom. ceterarum Matre & Magiſtra. Quin verò feci, quod in ipſa illa tempeſtate ii unicè optabant, qui eâ jactabantur. Pacificè ſecum differi petierunt de *Facto* illo, non ex diplomatis Pontificiis, ſed oculari Operum Janſenii inſpectione. Utrumque præſtiti. Ipſimet tunc clamabant, cùm in *Doctrina* conveniretur, exiguam reſtare & innocuam quæſtionem de *Facto*. *Doctrinam* cum illis defendi, quam *Wendrochius* ipſorum non minimus præformaverat, quamque ipſe *Diſquiſitor* non obſcurè ſectatur. Factum tantùm examinavi, quâ potui modeſtiâ & ſinceritate. Cur ergò hi modò, ſeu illorum aliqui (nam *Diſquiſitorem* ſcio aliter ſapere) tam intractabiles? Nempe feroci illo reſpondendi genere ſperarunt, nec mentem ſuam ſatis celare potuerunt, fore ut ad turbas veniretur, quas Roma ipſa pacis gratiâ ſopitum iret utrique parti indicto ſilentio. At fallet eos ſpes ſua. Ferociant ut voluerint: ego quam cœpi viam, inſiſtam conſtanter. *Fata viam invenient.* Satis dixi.

3. Quòd Lovanienſis Academiæ Doctor ſum, id eò potiùs me impellere debuit ut Janſenium refutarem, qui itidem Lovanienſis fuit. Operæ namque pretium futurum putavi, ſi refellendo Janſenium, refellerem nimis communem multorum calumniam, unde plurimum nobis undequaque promanat mali; quaſi

nimirum